



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

XX. De Hispaniae Conciliis non editis, & de aliis veteribus libris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

stola Nicolai qua inscribitur ad Ludovicum Regem, & in altera ejusdem ad Episcopos omnes in regno Ludovici, qua incipit *Gaudemus*. In margine est: *Dedit ibidem* (hoc est, p. 1.) *Polyc. l. 5. tit. 6. Anf. l. 2. c. 69.* Inscriptio capitis 6. *Sententiam*, eadem quaestione est hæc: *Item Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem in epistola septima.* In margine hæc sunt: *Anf. l. 1. c. 75. Ivo par. 5. c. 19.* Et in Notis: *Voluerit*] Sic etiam in originali impresso. sed *Anselmus* & *Ivo* habent *renuerit*. Vid. dial. 13. add. 10.

DE HISPANIÆ CONCILIIIS NON
editis, & de aliis veteribus libris.

Dialogus vigesimus.

C. QUÆNAM sunt ea quæ dixisti non edita Hispaniæ Concilia? **A.** Septem Toletana Concilia, duo Cæsaraugustana, duo Barcinonensia, Emeritense, Oscense, Egarense, & cum his conjungitur ex Gallia, Narbonense. **C.** Præclara quidem nomina & nostris æqualibus ac præceptoribus inaudita. nec sat scio an Gratianus his unquam usus fuerit; uno excepto Emeritense, quo illum mutato nomine inveniri dicebas usum. Toletana autem, quæ Gratianus sæpe refert, Concilia, & ex Cæsaraugustano quædam, omnia ferè in editis voluminibus exstant. **A.** Qua ratione Emeritense vidit & quædam Toletana non edita, potuit etiam cetera legere. Sed age videamus capita quædam ex his Toletanis accepta. **Causa xxvi. quaestione v. caput illud, cujus initium Quicumque sacer-**

Dial. 3. lib. 1.

*26. q. 5. c. 13.
Quicumque.*

dotum, ex Toletano Concilio sumi Gratianus fatetur. In editis Conciliis non invenies; sed in his quæ dixi non edita inventum est ex duobus capitibus duorum Conciliorum sumptum. Initium enim ejus capitibus est ex Concilio Toletano xii. capite septimo. Posterior pars, cujus initium *Plerique etiam*, est ex Toletano xvii. capite quinto. Sed multa in utroque capite relicta sunt studiosis viris legenda. Pro illis, *caussa doloris cujuslibet*, illic est, *causa cujuslibet doloris vel amaritudinis*. Pro altare vestibus sacris est *altare divinum vestibus sacris*. Pro voce accinxerit est *accingi*, aut ut in alio libro est, *accingisse*. Sed scribendum est *accinxisse*. Pro illis, *extingui præceperit*, plura sunt: *vel extingui præceperit, aut quodcumque lugubritatis in templo Dei induxerit, atque, quod pejus est, occasionem nutrierit unde templis Domini aut officia consueta desint aut oblatio singularis sacrificij videatur in aliquo defraudari*. Pro illis, *loci sui dignitate &c.* illic est: *ignobilitati perpetuae mancipatus, juxta superiorem sententiam Domini, & loci sui dignitate &c.* Pro illis *Plerique etiam sacerdotum sauciati &c.* multa sunt alia prætermilla. Pro illis, *ipsum offertur sacrificium, mortis incurrat periculum*, illic est: *idipsum offertur sacrificium ipsius sacrosancti libaminis interventu, mortis ac perditionis incurrat periculum; & quod cunctis datum est in salutis remedium, illi hoc perverso instinctu, quibusdam esse expetunt in interitum*. Pro illis, *ergastulo relegentur*, plenius illic est, *ergastulo*

10. q. 3. c. 5.
Unio.

relegati, excepto supremo vita curriculo, cum
 Etis vita sua diebus sacra communionis eis
 denegetur perceptio, quia Domino se credide-
 runt fraudulento delibasse studio. B. Multo
 meliora sunt hæc, in quibus & exilij & ex-
 communicationis pœna est, quàm illa quæ
 exilium tantùm continebant. (1) A. Ex To-
 letano xv i. capite v. illa sunt quæ Grati-
 anus refert post aliud Emeritensis Concilij ca-
 put. Omittuntur autem multa exordij verba,
 ut in superioribus. Et in extremo capite, post
 verbum *persolvere*, additur: *nec populis sa-
 cerdotali jure occurrere, sed nec rebus &c.* &
 post verbum *parvipenderit* hæc adduntur: *ut
 quippiam exinde temerandum crediderit.* In
 fine sunt hæc verba non satis integra post ver-
 bum *multari*: *ita nempe ut postquam ab hoc
 excommunicationis interdicto ad ordinis sui
 sanctiones modis omnibus studeat adimplere.*
 B. In libro Michaëlis Tomasi legi cujusdam
 docti viri scripturam, post vocem *interdicto*,
liber fuerit, ad ordinis sui remeaverit locum,
cunctas hujus canonis sanctiones, modis omni-
 bus &c. A. Magna libertate is interpres ute-
 batur. [2] Ex capite septimo ejusdem Con-
 cilij Gratianus sumpsit extremum caput di-
 stinctionis xv i i i. quod falsò Contius re-
 fert ex Toletano tertio capite decimo octavo.
 Varietas non magna est, his exceptis. Pro il-
 lis verbis *plenissimè omnia reseret &c.* illic
 est *publicè omnia reserata, de his qua eodem
 anno in Concilio acta vel definita extiterint
 plenissimè notiores efficiantur.* & post alia:

Distin. 18. c.
ult.

Quod si quispiam ea parvipendenda crediderit, aut contemnenda delegerit, aut contra hæc inobediencia tumidus, susurracione plenus, invidia incensus, & laceratione perfunctus, nec potius earundem definitionum extiterit fauor benevolus, sententia excommunicationis eorum mensum curriculo persistet usquequaque multatus. (3) Hæc sunt apud Gratianum aperte ex his Conciliis sumpta. Sed quia in eadem in verba quædam Augustini apud Gratianum relata, quæ in Toletano Concilio xvii. cap. iv. Cypriani esse dicuntur, de his videntur censo. Augustini verba sunt: *Frustra, inquit, quidam, qui ratione conuincuntur, consuetudinem nobis obiciunt &c.* In eo Concilio est: *Itemque præcellentissimus doctor & sanctissimus martyr Cyprianus prosequens ait: Frustra qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponant &c.* Ivo Augustino eadem adscripsit. Utrumque existimo eisdem fuisse verborum usum, & Cyprianum, & Augustinum, ut in illo verbo, *inquit*, ad Cyprianum respexisse. Cypriani verba sunt in epistula ad Adrianum: *Proinde frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt &c.* Augustini libro quarto de baptismo contra Donatistas cap. v. *Proinde, inquit, frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis obiciunt &c.* C. Non igitur tibi debuit, *Frustra, inquit quidam; sed, proinde, inquit, frustra quidam. neque conuincuntur, sed vincuntur.* Cur autem obiciunt hæc Augustinus, opponunt Cyprianus? A.

Cc ij

Dist. 8. c. 7.
Frustra.Ivo par. 2. c.
94 & par. 4.
c. 235. decr.

Memoria fortasse lapsus est, & sententia
 ejusdem verbum protulit. Ideo retinendum
 arbitror. (4) De aliis videamus quæ ex aliis
 libris non editis sumpta sunt. Sed quid illud
 est quod puer ad vos attulit? B. Nuntiat ve-
 nisse librarium cum jure pontificio tam
 desiderato Gregorianæ editionis. A. Manu
 igitur de tabula, ut aiunt. Velim tamen in-
 terea scire quinam alij libri essent reliqui. De
 illis loquor de quibus agebamus nondum in
 vulgus editis, cum quibus Gratianus con-
 ferri potuit. B. Eos nullo ordine referam, sed
 ut ut venerint in buccam. Initium faciam à
 septimi Gregorij registro, in quo præter epis-
 tularum libros decem multa sunt Concilia
 Romæ ab eodem Pontifice habita. Successit
 huic Victor tertius; & post eum Urbanus
 minor. Utriusque synodos habes, Victoris
 Beneventanam, Urbani Claromontensem,
 Melfiensem, Placentinam, item Paschalis
 minoris duo Romana Concilia, aliud Inno-
 centij minoris Romanum Concilium, & ho-
 rum trium Pontificum Urbani, Paschalis,
 & Innocentij aliquot epistulas. Eugenij ter-
 tij Remense concilium, falso Eugenio mino-
 ri à Colonensibus inscriptum. His omnibus
 antiquius est Concilium Ravennæ habitum
 ab Joanne IX. Pontifice Maximo. Item epis-
 tulæ aliquot Leonis minoris & Leonis quarte-
 ti. Concilia provincialia Galliæ addere posse-
 mus, Andegavense, Trosleianum, Lemovi-
 cense, Bituricense, Tullense, Pictaviense,
 atque alia hujusmodi. Vitæ quoque addantur

Pontificum Romanorum ad Joannem XXII. Anastasij Bibliothecarij historia ex Georgio & Theophane, & interpretatio Concilij Nicæni de imaginibus & octavi CP. contra Photium. Fragmenta Hadriani Pontificis ad Carolum Magnum de imaginibus, quæ in Suriana editione desiderantur. Hæc & alia pleniùs in Romano Gratiani volumine & in epitome veteris juris pontificij tua cognoscentur. A. Habes igitur C. quod tantopere expetebas, juris pontificij emendationem, non ex sordidis rivulis & lacunis, sed ex ipsis fontibus splendidissimis quasi Venerem quandam è mari exorientem, quæ omnium in se oculos convertat & mirificos amores & cupiditates eliciat.

A D D I T I O N E S.

(1) **A** N T E caput 13. *Quicumq.* 26. q. 5. in editione Gregoriana hæc verba sunt: *Quorum omnium maleficia nequissima Toletanum Concilium 13. condemnat dicens c. 7. Et in Notis est: Principium hujus capituli usque ad vers. Plerisq. est ex 13. Concilio Toletano c. 7. Reliqua verò sunt ex 17. Toletano c. 5. Quorum Conciliorum duo exemplaria sunt habitata ex Hispania, & inde nonnulla hic emendata & addita.*

(2) In eodem libro inscriptio capituli 3. Vnio. 10. q. 3. hæc est: *Item ex Concilio Toletano 16. c. 4. In Notis hæc sunt: Caput hoc est pars quarti canonis Concilij 16. Toletani, cujus duo exemplaria missa sunt ex Hispania, ex quibus nonnulla sunt in hoc capite emendata & addita. Habitu verò est Concilium hoc Aera DCCXXXI. cum illud Emeritense habitum fuerit Aera DCCIII. Multari.] In Concilio sequitur: ita nempe ut postquam ab excommunicationis interdicto ad ordinis sui remeaverit locum,*

Cc iij

406 LIBRI POSTERIORIS DIALOGUS XX.
cunctas hujus canonis sanctiones modis omnibus studeat adimplere.

(3) Distinctione 18. capiti extremi inscriptio in eodem libro hæc est: *Vnde in Concilio Toletano 16. c. 6. Decernimus &c.* In Notis est: *Quatenus*] *In duobus exemplaribus hujus decimi sexti Concilij Tolatani locus hic ita legitur: Quatenus coram eis publicè omnia referata, de his quæ eodem anno in Concilio acta vel definita extiterint plenissimè notiores efficiantur.*

(4) Caput septimum distinctionis 8. in eodem libro ita inscribitur: *Idem (Augustinus) in lib. 4. de baptismo contra Donatistas c. 5. Frustra, inquit, quædam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis objiciunt &c.* In margine est: *Hic refert beatus Augustinus verba beati Cypriani in epist. ad Inbain. l. 1. c. 2. c. 94. & par. 4. c. 235. Et vers. Hoc plane additur: Hic beatus Augustinus respondet.*

FINIS.

